



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 483. Usque Ad Annum 561.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117824

§. 12. Clerici Carthaginenses relegantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66066](#)

Sæculum V.

A. C. 484.

§. XII.

Clerici Carthaginenses relegantur.

Vit. V. n. 9. Episcopo Eugenio in Exilio agente, et iam omnes Clerici Carthaginenses plusquam quingenti viri, prius fame & tormentis vexati, exulare jubentur. In primis memorabilis fuit Diaconi Murittæ zelus. Ministrorum nullus Catholicos torqueri ferocius urgebat, quam aliquis Apostata, cui nomen Elpidiforus; Is a Catholicis baptizatus in Ecclesia Fausti, a Diacono Muritta e fontibus levatus fuerat. Clerici omnes suo ordine & nominatim evocabantur, ut torquerentur, post Presbyteros venit Archidiaconus Salutaris, tum Diaconus secundus Muritta, Senectute venerabilis vir. Dum distenditur, antequam vestes diriperentur, drepente lintea, quibus olim Elpidiforum e sacro fonte egredientem contexerat, e sinu protrahit, hæc enim sub vestibus occultaverat, iisque coram omnibus evolutis ad Elpidiforum, inter Judices suos sedentem, conversus, ecce! bæc velamenta, inquit, te accusatura sunt, quando terribilis Judex veniet; bæc te præcipitabunt in puteum sulphureum, quia Maledictionem induisti, dum veri Baptismi, & Fidei Sacramentum perdidisti. S. Diacono multa ejusmodi ingerente, Elpidiforus pudore turbatus tacebat.

Hos

Hos igitur Confessores flagris concisos, Sæculum V.
 & dilaniatos in Exilium ejecerunt. Dum A.C. 484.
 in itinere sunt, instigantibus Episcopis Ari-
 anis immittuntur ex Satellitibus, qui crude-
 lissimi noscebantur, ut a miserentibus Fi-
 delibus donata, quibus in via sustineren-
 tur, eriperent. Duo Vandali, saepius an-
 te sub Genserico Fidem confessi, comitan-
 te Matre sua, relictis omnibus Bonis Cle-
 ricos Carthaginenses in locum Exilii se-
 cuti sunt. Apostatarum aliquis, nomine
 Theucarius, qui prius Lector pueros in
 cantu instituendos suæ curæ commissos
 habuerat, consilium suggessit, ut ex illis
 duodecim, quibus præstantissimam vo-
 cem esse noverat, revocarentur. Illoco
 mittuntur, qui pueros celeriter reduce-
 rent. Ipsi a SS. Confessorum societate
 separari recusantes, eorum genibus fentes
 implicabantur. At Hæretici strictis gladiis
 avulsos Carthaginem remeare coegerunt.
 Tum puerorum animos blandimentis ca-
 pere conati sunt, cum vero nihil profi-
 cerent, saepius cruciatos etiam verberi-
 bus obruerunt. Pueri nihilominus a Fi-
 dei proposito dimoveri non potuere.
 Postquam persecutio cessavit, Civitas
 Carthaginensis eosdem tanquam duo-
 decim Apostolos venerata est. In eadem
 domo habitabant, manducabant, & Lau-
 des Divinas cantabant. Ceterum Epis-
 copi & Clerici Arianorum majori furore,

n. 13.

C 3

quam

Sæculum V. quam Rex ipse, aut Vandali Catholicos
A. C. 484. persequebantur. Quocunque irent hi
 Episcopi, Sica ad latus erat, & Clerici
 Dominos comitabantur. Reliquorum
 nulli crudelitate concessit Antonius, De-
 serto Tripolitano vicinus. Is Regem Hu-
 nericum, cui non erat ignotus, impulit, ut
 Eugenium Episcopum Carthaginensem
 ad hanc Eremum damnaret; tum An-
 tonius, ipsius custodiam suscipere jussus,
 arctissimo carceri inclusit; nec cuiquam
 colloqui captivo licebat. Imo insidias,
 quibus perimeretur, struxit. S. Eugenius
 Ecclesiæ suæ mala summo dolore pro-
 cutus, Cilicium induerat, & in terra cu-
 babat facco strata. Hoc vitæ rigore vir
 Senectute fractus paralysin contraxit,
 quæ etiam loquentis linguam impedi-
 bat. Antonius Acetum acerrimum af-
 ferri jussit, & invitum coegit, ut bibe-
 ret, sperans hanc potionem ægrotō ne-
 cem allaturam; invaluit quidem tunc
 morbus, postea tamen sanitati restitu-
 tus est.

§. XIII.

Catholici vi adhibita rebaptizantur.

n. 12.

Episcopus alius vitæ Sanctitate notus,
 cui Nomen Habetdeum, Thamallu-
 mam relegatus, ubi Antonius habitabat,
 cum adduci non posset, ut Arianus fieret,
 ipso jubente pedibus, manibusque lig-
 tus